

Franckesche Stiftungen zu Halle

Christvm Primogenitvm Ex Mortvis Exhibet Meditatio Paschalis In Academia Ienensi Proposita

Wilhelm Heinrich <Sachsen-Eisenach, Herzog>

[Jena], [1724?]

VD18 10461175

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200378](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200378)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2.

61 C 2

441
42

CHRISTVM
PRIMOGENITVM
EX MORTVIS

EXHIBET

MEDITATIO PASCHALIS

IN

ACADEMIA IENENSI

PROPOSITA.

LITTERIS PETRI FICKELSCHERRII.

0 42

DEI GRATIA
GVILIELMVS HENRICVS
DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET WESTPHALIAE, LANDGRAVIVS
THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, PRINCEPS COMES
HENNEBERGIAE, COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE,
SAYNAE ITEM ET WITTGENSTEINII
DYNASTA RAVENSTEINII

GRATIAM DEI
SPEMQVE CERTAM RESVRRECTIONIS AD VI-
TAM AETERNAM
PER PRIMOGENITVM EX MORTVIS
ADPRECATVR
C I V I B V S.



Inter elogia, quibus seruator ac redemptor hominum optimus in scriptura sacra ornatur, & quorum hocce tempore, quo resurrectionem eius a mortuis celebramus, meminisse haud abs re fuerit, non vltimum locum tenet, quo πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *primogenitus ex mortuis*, salutatur. Ita namque Ioannes septem, quae sunt in Asia, ecclesiis gratiam & pacem adprecatur ab eo, qui est, & qui erat, & qui futurus erat; & a septem spiritibus, qui sunt coram throno eius, & a Iesu Christo, ὁ μάρτυς ὁ πιστός, ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ὁ ἀρχὴ τῶν βασιλείων τῆς γῆς, teste illo *fideli, primogenito ex mortuis, & principe regum terrae*; qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris suo sanguine; apocal. I, 4. 5. Pari ratione & Paulus, de Christo verba faciens, & ipse, inquit, est caput corporis ecclesiae, ὅς ἐστιν ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *principium & primogenitus ex mortuis*, ut in omnibus primas teneat, Coloss. I, 18. Quid ergo ista loquendi ratione scriptores sacri, virique diuini spiritus adflatu perculsi, sibi velint, expendere operae pretium fuerit, cum non omnibus id aequè euidentis atque perspicuum esse videatur.

Non semel quidem, sed sensu diuerso Christum in scriptura sacra πρωτότοκον vocari, constat. Intuitu humanae naturae intelligendum, quod Matthaeus de Maria dicit, καὶ τὸν πρωτότοκον, *primogenitum*

genitum peperisse, *cap. I. v. 25.* Quod non ita accipiendum, ac si virgo beatissima post seruatorem aliorum adhuc liberorum mater existerit; cum primogenitus is dicatur, qui primum natus est, licet alii post eum nati non sint. Recte BASILIUS: * ὁ πρῶτος ὁ πρωτότοκος πρὸς τὰς ἐπιγινομένας ἔχει τὴν σύγκρισιν, ἀλλ' ὁ πρῶτον διανοίγων μήτηραν, πρωτότοκος ὀνομάζεται. *primogenitus omnino non respectu prolis succedentis dicitur, sed qui primus vuluam aperit, primogenitus nominatur.* Nec est, ut quemquam moueat, quod Matthaeus dicit: καὶ ἐκ ἐγίνωσκειν αὐτὴν, ἕως ὃς ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς πρωτότοκον. Iam pridem namque SVIDAS ** obseruauit: ἕως, παρὰ τῆς γραφῆς ἐπὶ τῷ διηγεῖσθαι πολλάκις εὐρίσκειται κείμενον. (particula) ἕως, in sacra scriptura saepe posita inuenitur pro: in perpetuum. Reiectus hinc merito damnatusque illorum error fuit, qui ex hisce sacri scriptoris verbis colligere voluerunt, beatam virginem Mariam post editum in lucem mundi seruatorem, alios adhuc peperisse liberos. Quam in sententiam HELVIDIVM ingressum constat, quem hoc nomine acriter reprehendit HIERONYMVS; *** quamquam iam alios ante eum idem furor inuaserat, qui EPIPHANIO * pariter ac AVGVSTINO ** *antidicomarianitarum* nomine veniunt; ne quid de *dimaeritis* dicam, quibus idem placitum tribuit EPIPHANIVS. *** Immo si PHILOSTORGIO credimus, iam EVNOMIVS atque EVDOKIVS veriti non sunt τὸν Ἰωσήφ μετὰ τὴν ἀφραστον κυοφορίαν συνάψαι τῇ παρθένῳ, *Iosephum post partum ineffabilem virgini coniungere.* *

Intuitu diuinæ naturæ Christus itidem πρωτότοκος πάσης κτίσεως adpellatur a Paulo, *Coloss. I. 15.* Quod cum Ariani ita intelligerent, ac si Christus prae reliquis rebus creatis hoc solum praecipui haberet, quod ante eas productus esset, magnumque adeo causæ suæ in hacce explicatione collocarent praesidium; ad eam refellendam veteris ecclesiæ

* *hom. in natiuit. Christi, tom. I. p. 590.* ** in voc. ἕως tom. I. p. 782. edit. I. V. DOLPHI KVSTERI. *** *aduersus Heluidium, de perpetua Virginitate beatæ Mariæ, tom. IV. oper. part. II. p. 130. seqq. edit. IOAN. MARTIANÆI.* * *haeresi LXXVIII. tom. I. oper. p. 1033. seqq.* ** *de haeresibus cap. LVI.* *** *haeresi LXXVII. p. 1030.* * *histor. eccles. Lib. VI. cap. II. p. 82.* Legenda tamen, quæ ad h. l. obseruat IACOBY GOTHOFREDVS p. m. 257.

fae doctores omnes contulerunt ingenii vires. Nec tamen eandem omnes hincse expediendi ingressi sunt rationem. ISIDORVS Pelusiota, quam promptissime hocce Arianorum se declinaturum telum, existimauit, si contenderet, non *πρωτόγονον* legendum esse, sed *πρωτότοκον*, ac si Paulus non id sibi velit, *πρωτον της κτισεως αυτον ουκ ετιθαι*, cum primum ex omnibus rebus conditis creatum esse, sed *πρωτον τετοκέναι, τετέσι, πεποιηκέναι την κτίσιν*, primo peperisse, hoc est fecisse res creatas. ** At sine omni huc se recipit necessitate, cum res salua sit, si vel maxime recepta retineatur lectio. In eandem nihilofecius sententiam concessit, quod mireris, DESIDERIVS ERASMVVS Roterodamensis. *** Quod si mutato accentu, inquit, legas, *πρωτότοκον* πείσης κτίσεως, sensus erit, illum primum produxisse omnia, & omnem creaturam ab illo natam esse. Nec male congruit ad hanc sententiam, quod sequitur, quod in illo creata sint omnia &c. GREGORIUS Nyssenus, ob regenerationem nostram, Christum *πρωτότοκον* πείσης κτίσεως adpellitari, contendit, eo quod Christus ideo humanam induerit naturam, vt nos generationis spiritualis, seu quae est ex aqua & spiritu participes redderet, *ως παντων των πνευματικων αναγεννωμενων, πρωτότοκον αυτον γενέσθαι, και αδελφους ονομάσαι της της ομοιως αυτου δια της υδατος και της πνεύματος μετεσχηκότας γεννήσεως* ita vt omnium qui spiritualiter regenerantur, ipse sit primogenitus, fratresque nominet eos, qui similis cum ipso per aquam & spiritum regenerationis facti sunt participes. * Nec aliorum, vt BASILII atque CHRYSOSTOMI hinc procul abludit interpretatio. Qua licet vtrumque Arianis obuiam iuerint, Christum in eundem cum reliquis rebus creatis redigentibus ordinem; incaute tamen admodum Photiniani, & qui horum impietatem hereditario quodam iure acceperunt, Socinianis exemplum, haecce apostoli verba mirifice peruertendi, praeiuerunt. Pessimi enim isti & iurati diuinitatis Christi hostes, cum ne id quidem concedant, quod Arianis adfirmabant, Christum ante omnes res conditas a patre creatum; & vero verba haec apostoli, si de huius vniuersi productione intelligantur, sibi obstare videant; ea itidem de creatione noua, seu regeneratione explicare adnituntur. Ita IOAN. CRELLIVS: cum

A 3

Chri-

** lib. III. ep. XXXI. p. 268. *** in annotat. ad b. l. p. m. 502. * orat. II. contra Eunom. tom. II. op. p. 453.

*Christus dicitur primogenitus omnis creaturae, per creaturam non intelligitur creatura vetus, sed noua; nam alioquin Christus ab apostolo vetus creatura statueretur; siquidem primogenitus est ex ordine & numero earum rerum, quarum dicitur primogenitus. *** Ea-que nec HUGONI GROTIUS *** displicet interpretatio, tum in aliis, tum hac quoque in re Socinianorum vestigia prementi. Præterquam vero, quod haud commode intelligi queat, quo pacto intuitu regenerationis Christus primogenitus adpellitur, quippe cuius ipsemet particeps factus non est, nec fieri potuit, eo, quod sine peccato natus est; repugnat orationis series, quæ docet, non de noua creatione seu regeneratione apostolo sermonem esse, sed de prima rerum omnium productione, cum omnia per ipsum (Christum) conderentur, quæ in caelo sunt, & in terra, visibilia pariter ac inuisibilia &c. Nec CRELLII rite procedit ratiocinatio, ac si dicendum sit, Christum esse creaturam veterem, nisi concedatur, eum esse creaturam nouam. Namque nec vetus, nec noua creatura est, & neutrum quoque dicit apostolus, sed is, qui ante res omnes conditas existit, & per quem omnia sunt creata. *Primogeniti* etiam vox non semper ita sumitur, ut qui ita vocatur, ex numero & ordine earum rerum, quarum dicitur primogenitus, esse debeat. Id nimirum est, ad quod hic vel maxime attendendum, & quod si obseruetur, omnes, quæ hic se offerunt, statim euanescent difficultates. Etenim non σωτήρς seruator dicitur, sed προσωτόγονος παῖς υἱός, id est, qui iam fuerit, antequam vlla res creata esset, seu qui iam ab æterno seu verus Deus a patre genitus existerit. Eadem fere ratione sapientia hypostatica, seu filius Dei apud Salomonem de se ipso loquitur: dominus possedit me ראשית ררכו initium seu principium viae suae, ante operacius iam tum (eram;) pro-uerb. VIII, 22. Indicat hisce verbis, fuisse iam hancce sapientiam, cum aliquid creari inciperet, adeoque ab æterno exstitisse, idemque sibi vult apostolus; & ita Arianorum non minus, quam Socinianorum deliria vnico velut ictu prosternt, atque profligat. Atque hunc in modum ex veteribus hæcce verba recte interpretantur THEODORETUS, * CHRYSOSTOMVS, ** BASILIUS; *** THEOPHYLACTVS, * alique.

** in comment. ad b. l. p. m. 527. *** ad b. l. * ad b. l. p. 346. ** homil. III. in epist. ad Coloss. p. 103. 104. *** lib. IV. contra Eunom. tom. II. p. 104. * ad b. l. p. 635.

aliquae. In Iudaeorum scriptis loquendi formulas, quae his, quibus apostolus usus est, quando Christum *imaginem Dei inuisibilis, primogenitum omnis creaturae*, vocauit, respondeant, deprehendi, notum recteque CLEMENTI STRESONI ** obseruatum est: caute tamen haec accipienda sunt, cum Arianorum potius quam nostrae causae fauere videantur; quod de illis exploratum, qui, animam Messiae ante mundum conditum productam, autumant, eumque hoc intuitu *πρωτόγονον πάσης κτίσεως* dici posse, concedunt.

Aliter rursus vox *πρωτόγονος* accipienda, cum idem apostolus Christum *primogenitum ex mortuis* adpellat. Nec tamen & de horum verborum inter se interpretes conueniunt sensu. Sunt namque, qui Christum ideo primogenitum a mortuis vocari censent, quod primus eorum fuerit, qui a mortuis resurrexerunt, aut potius resurrecturi sunt. Ita THEODORETUS. Cum enim monuisset, primogenitum eandem habere naturam cum illis, quorum primogenitus vocatur, (quod tamen non semper locum inuenire antea docuimus) addit: *ὡς ἄνθρωπος ἐν ἁρᾷ πρωτότου ἐν νεκρῶν πρῶτος γὰρ τὰς ψυχὰς ἔλυσε τῷ θανάτῳ, καὶ πᾶσιν ἔδωκε τῆς ἀναβιώσεως τὴν γλυκεῖαν ἐλπίδα, ὡς ὁμοίως ἔστιν ὁ πρωτόγονος ἐκ τῶν νεκρῶν. Primus enim dolores mortis soluit, & dulcem reuiuiscendi spem omnibus dedit. **** Idem & alibi repetit, habetque ea in re praeter alios sibi suffragantem GREGORIUM Nyssenum. Immo & CHRYSOSTOMUM; qui &, cum perspexisset, obiici huic sententiae posse, quod alii iam ante Christum resurrexerint, dubium hocce ita remouere conatur: *ἐκεῖνοι εἰ καὶ ἀνέστησαν πρὸς Χριστὸν, ἀλλὰ ἀναστάντες πάντες ἀπὸ θανάτου πάλιν, γεῦμα δὲ δακτύλου τῆς ἀναστάσεως ὁ δὲ Χριστὸς ἀναστὰς ἔχ' ὑποπύπτῳ θανάτῳ, καὶ διὰ τοῦτο ἀρχηγός, ὡς ἀναστὰς, καὶ μηκέτι ἀποθνήσκων. Illi etiam si ante Christum resurrexerint, postmodum omnes rursus mortui sunt, gustum quemdam resurrectionis dederunt. Christus autem postquam resurrexisset, morti non amplius est obnoxius, & propterea dux, ut qui resurrexit, nec amplius moritur. ** Videtur magnus ille orator de iis loqui, quos Christus, dum inter homines versatus est, a mortuis resuscitauit, quosue iterum mortu-

** in meditat. in epist. ad Coloss. p. 29. *** in demonstrat. quod impassibilis sit diuinitas saluatoris tom. IV. oper. p. 183. * homil. CXXXIV. tom. V. oper. p. 861.

mortuos constat. Sed quid de Mose dicemus, quem itidem a mortuis resurrexisse viri docti ex *Matth. XVII, 3. seqq.* colligunt. Hunc enim iterum mortuum, nemo temere adfirmaverit. Non ergo ea, qua CHRYSOSTOMVS vult, ratione adferri potest, Christum primogenitum fuisse ex mortuis. Addi posset, quod Matthaeus refert, eo tempore, quo seruator optimus in cruce pendens cum morte colluctatus est, apertis monumentis multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexisse, *cap. XXVII, 53.* Sed responderi solet, non statim ac sepulchra aperta sunt, etiam sanctorum istorum contigisse resurrectionem. Quae enim sequuntur: *Et egressi e monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem Et adparuerunt multis,* ita accipienda censent, ut verba *μετὰ τὴν ἔγερσιν* non solum ad egressum e monumentis, sed etiam ad resurrectionem sanctorum illorum referantur. Refragatur quidem DANIEL HEINSIUS; ** putatque verba scriptoris sacri ita distinguenda, *καὶ ἐξεληλύθησαν ἐκ τῶν μνημείων, μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτῶν εἰς Ἱερουσόλῃμ* &c. ut adeo statim quidem ac sepulchra aperta sunt, etiam sancti isti reuixerint, ac resurrexerint, sed post resurrectionem tandem domini urbem Hierosolymam ingressi sint. Sed cum antiquorum codicum destituatur auctoritate, paucos forte secum consentientes habebit. Non abnuimus, fuisse iam olim, qui existimauerint, eo ipso tempore, quo sepulchra per vehementem terrae motum sunt reclusa, simul sanctos istos, quorum in iis continebantur corpora, resuscitados. Id namque AUGUSTINVS nos conducet: *Scio quibusdam videri, morte domini Christi iam talem resurrectionem praestitam iustis, qualis nobis in fine promittitur: quoniam scriptum est, illo terrae motu, quo in eius passione petrae scissae et monumenta aperta sunt, multa corpora resurrexisse iustorum, et visa cum illo quando resurrexit in sancta civitate.* Bene vero animaduertit, obstare huic sententiae, quod Christus primogenitus a mortuis dicatur: *Qui utique si non iterum repositis corporibus dormierunt, videndum est, quemadmodum intelligatur Christus primogenitus a mortuis, si eum in illa resurrectione tot praecesserunt.* Ad quod tamen dubium ita responderi posse, putat, *dictum hoc esse per anticipationem, ut monumenta quidem illo terrae motu aperta intelligantur, cum Christus in cruce penderet, resurrexisse autem*

** exarsit. *fact. in Matth. cap. XXII. p. m. 90.*

tem iustorum corpore, non tum, sed cum ille prior resurrexisset &c. *

Cum vero si haec eum in modum tollatur difficultas, ea tamen, quam Moſis, de quo antea dictum, exemplum adfert, remaneat; rectius cuncta processura arbitrati sunt alii, si Christum *primogenitum ex mortuis* adpellatum censeamus, quod praecipuus seu princeps illorum sit, qui a mortuis ad vitam aeternam resuscitantur. Euincere hoc adnititur IOANNES CAMERO. *Primogenitus*, inquit, *metonymia antecedentis pro consequente*, ille dicitur, qui est dominus & haeres omnium bonorum paternorum, unde phraſi scripturae familiari is *primogenitus* dicitur, qui est reliquorum dominus, princeps, primarius. Confirmat hoc verbis psalmi LXXXIX, 28. ubi Dauid (aut potius Messias) dicatur *primogenitus regum*, hoc est, praecipuus & primarius inter reges, regum omnium gloriosissimus & famosissimus; quemadmodum & Es. XIV, 30. *primogeniti pauperum* vocentur, qui pauperrimi & miserrimi sunt, pauperum veluti & mendicorum primarii duces. Atque hinc tandem concludit, quando Christus πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *primogenitus mortuorum* adpellatur, significari, quod sit caput, & princeps, seu dominus mortuorum in beata resurrectione resuscitandorum. ** Sunt nihilofecius alii, qui seruatores nostrum ideo πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν salutare existimant, quod causa sit resurrectionis illorum, qui ad vitam aeternam resuscitantur. Hunc in modum hanc loquendi rationem explicat GREGORIUS Nyſſenus: ἐπεὶ καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως ἔδει αὐτὸν ἐναπεδέσθαι ἢ φύσει τὴν δύναμιν, γίνεσθαι ἀπαρχὴν τῶν κεκοιμημένων, καὶ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, ὁ πρῶτος δι' ἑαυτὸν λύσας τὰς ὀδῖνας τοῦ θανάτου ὥστε καὶ ἡμῖν ὁδοποιεῖν τὴν ἐν τοῦ θανάτου παλιγγενεσίαν, διὰ τῆς τοῦ κυρίου ἀναστάσεως τῆς ὀδῖνος τοῦ θανάτου λύσεως, ἐν ᾧ κατερχόμεθα. Quoniam etiam per suam a mortuis resurrectionem ipsum indere vim naturae humanae ad resurgendum oportebat, sit dormientium primitiae, & *primogenitus ex mortuis*, qui primus per seipsum mortis dolores soluit; ita ut nobis a morte sit patefacta via ad regenerationem per domini resurrectionem mortis doloribus solutis, in qua detinebamur. *** Pari ratione ATHANASIVS: πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, διὰ τὸ ἐξ αὐτοῦ

B

* epist. CLXIV. ad Euodium (secundum recentiore dispositionem) tom. II. oper. p. 438. ** in myrothecio euangel. ad Coloss. I, 15. p. m. 220. *** orat. II. contra Eunom. tom. II. p. 453.

αὐτὸ καὶ μετ' αὐτὸν εἶναι τὴν τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν. *primogenitus ex mortuis*, quia ab ipso & post ipsam est *resurrectio mortuorum*. * Itemque OECUMENIVS: πρωτότου ἐκ νεκρῶν, ἀρχὴ ἀναστάσεως καὶ προφῆτις γένόμενος. *Initium & causa resurrectionis factus, dicitur primogenitus ex mortuis*. **

Verissimum utique est, resurrectionis ad vitam aeternam resuscitandorum seruatorem nostrum optimum causam esse. Quo pacto tamen ex voce πρωτότου hoc elici queat, nondum video, nisi illorum simul amplectamur sententiam, qui per *primogenitum*, caput, principem, dominum, denotari contendunt. Qui enim caput, princeps, dominusque illorum est, qui a mortuis resurgunt, pro ipsa quoque resurrectionis causa recte reputabitur, inde ut repetatur ratio, cur eorumdem princeps sit ac dominus. Cumque haecce vocis πρωτότου significatio firmo plane nitatur talo, & ex more loquendi apud Ebraeos usitato robur ac firmamentum accipiat; non errabimus, si utramque sententiam coniungentes, Christum πρωτότου ἐκ νεκρῶν dici adferamus, quia & caput princepsque illorum est, qui ad aeternam beatitudinem resuscitantur, & resurrectionis istius simul auctor atque causa. In utroque & Pauli & Ioannis effato, hancce, quam designauimus vocis πρωτότος notionem in censum venire, ut speciatim principatus ac dominium seruatoris in reliquos, qui a mortuis resurgunt, innuatur, deprehendet, qui illorum paullo adcuratius considerauerit verba. Et Paulus quidem, cum, Christum utpote verum Deum, rebus creatis omnibus longe praestantiorē esse, docuisset, eumque adeo ut πρωτότου πάσης κτίσεως, seu qui iam ab aeterno ante omnes res creatas fuit, descripsisset; eius ἐξοχὴν ex eo porro euincit, quod sit κεφαλὴ τῆς σώματος τῆς ἐκκλησίας caput corporis scilicet ecclesiae idque inde elucere, quod sit ἀρχή, principium, & πρωτότος ἐκ τῶν νεκρῶν, praecipuus seu princeps illorum qui a mortuis resuscitantur, additque: ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, ut in omnibus sit princeps, seu principatum tenens. Ioannes vero seruatorem nostrum a triplici eius officio, prophetico, regio & sacerdotali describit. Ad propheticum spectat, dum cum testem illum fidelem, πιστὸν, seu constantem adpellat, qui doctrinam veritatis a se mortalibus propositam morte sua confirmauerit, ac obli-

* orat. III. contra Arian. tom. I. p. 434. ** ad Coloss. I. p. 680.

obsignauerit; ad *regium*, dum eum *primogenitum ex mortuis & principem regum terrae* salutat, intuitu quidem credentium, *primogenitum ex mortuis*, cum non tantum princeps praecipuusque eorum sit, qui ex mortuis sunt resuscitandi, sed eosdem ipsemet ad gloriam sit resuscitaturus; intuitu vero reliquorum hominum, seu non credentium, *principem regum terrae*; ad *sacerdotale* denique, quod addit: *qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris suo sanguine*, siquidem sanguine Christi peccata nostra expiata, nosque redempti sumus; quem cum lubens laetusque pro nobis seruator effudit, luculentissimum summi amoris sui erga nos dedit documentum.

Ingens itaque omnes, qui de salute sua serio sunt solliciti, inde percipere possunt solatium, quando, Christum τὸν πρωτότοκον ἐκ νεκρῶν esse, cogitant. Magna enim licet primogeniti sit prae reliquis fratribus ἐξοχή, hi tamen eiusdem generis dignitate gaudent, & spem habent eiusdem poriundae hereditatis. Prout equidem Christus πρωτότοκος est πᾶσιν κτίσεως, nihil cum hominibus, aut rebus creatis reliquis habet commune. Sed prout est πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, dignitatis eiusdem, & gloriae & beatitudinis sunt participes. Idem namque ille, qui est *primogenitus ex mortuis & princeps regum terrae*, fecit & nos βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτῷ, apoc. I, 6. Ille ipse, quem Deus constituit κληρονόμον πάντων, Ebr. I, 2. nos quoque ut fratres suos ad eandem hereditatem vocat. Si enim filii, inquit apostolus, etiam heredes, heredes Dei & coheredes Christi, si modo cum eo patiamur, ut etiam cum eo ad gloriam euehamur, Rom. VIII, 7. Idem denique ille, qui suamet virtute a mortuis surrexit, nos quoque excitabit, ut semper cum eo viuamus, summaque & numquam finienda fruamur beatitudine; & ita se πρωτότοκον ἐκ νεκρῶν demonstrabit. Quae maior autem primogeniti est dignitas, eo feliciores censendi sunt, quorum est primogenitus; quo maior auctoritas, eo certiores esse possunt, omnia eum & effecturum, quae sperare possunt; quo maior potentia, eo iustiores, summam in eo fiduciam collocandi, causae.

At hoc illi sibi dictum putent, qui Christum fratrem suum primogenitum reuera adpellare, adeoque spem resurrectionis ad vitam aeternam habere possunt. Possunt autem non alii, quam qui sunt filii Dei, hoc est, qui in Christi nomen credunt. Hisce enim data pote-

stas *ut filii Dei fierent*, Io. I, 12. Resurgent equidem & impii, sed ad opprobrium, ad poenam, ad supplicium aeternum. Resurgent, quibus satius esset non resurgere, quibusue vita, quam recipient, pro morte erit, quine pro vita mortem, si possent, essent electuri. Qui vero se filios Dei, fratresque primogeniti ex mortuis profitentur, id efficere debent, ut tales esse agnoscantur, quales videri volunt. Efficient vero, si charitate, obsequio, modestia, continentia, castitate, temperantia, aliisque virtutibus, se vera in Christum fide praeditos demonstrarent.

Iam si non indigni simus, qui fratrum primogeniti ex mortuis nomine veniamus, eundem quoque eo maiori prosequi debemus veneratione, quo illustriora is sui erga nos amoris dedit documenta, quod luculentiora sunt, quibus nos sibi obstrinxit, beneficia; immo & quo sublimius ei obtigit nomen, adeo ut in *eius nomine flecti debeat omne genu illorum, qui sunt in caelo, in terra & sub terra*, Philipp. II, 8. Diligamus itaque eum ut fratrem, sed colamus etiam ut principem & dominum nostrum pietate & obsequio. Verbis non modo sed factis atque re ipsa laudes eius celebremus, gratique animi, & illi tantum dediti, statuamus documenta. Haec curarum, haec cogitationum nostrarum summa sit, ut illi placeamus, sine quo Deo placere nemo potest, & fugiamus ac auersemur, quae fugere nos & auerfari voluit, consectemur contra sedulo, quae non tantum, ut consectemur, iussit ipse, sed quorum exemplum quoque, ad quod nos componeremus, reliquit. Semper quidem haec voluere animo, semper ad ea nosmet ipsi excitare debemus, cum numquam non memores nos esse deceat resurrectionis ad gloriam, quam per eum, qui est *πρωτότοκος ἐν νεκρῶν*, tantum consequi licet; hoc tamen praecipuo tempore officii nostri hoc postulat ratio, quo orbis christianus laudes *primogeniti ex mortuis* decantat. Agite ergo, ciues, cogitate, quid vos deceat, nec ingrati sitis erga illos, qui verbum diuinum adnuntiando, haec omnia in memoriam vobis reuocant.

P. P.

FERIA PRIMA PASCHAYOS
A. MDCCXXIV.

(L. S.)

61 C 2

10-18

